Abhandlungen
der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen
Philologisch-Historische Klasse / Neue Folge

I. Bd. Nr. 1. **Kehr, P.,** *Ueber eine römische Papyrusurkunde im Staatsarchiv zu Marburg.* Mit drei Faksimile auf zwei Tafeln. 4. (28 S.) 1896. 3 RM

I. Bd. Nr. 2. **Meyer, Wilhelm** (a. Speyer), *Ueber Lauterbachs und Aurifabers Sammlungen der Tischreden Luthers.* 4. (43 S.) 1896. 3 RM

I. Bd. Nr. 3. **Bonwetsch, N.,** *Das slavische Henochbuch.* 4. (57 S.) 1896. 4 RM

I. Bd. Nr. 4. **Wellhausen, J.,** *Der arabische Josippus.* 4. (50 S.) 1897. 3,50 RM

I. Bd. Nr. 5. **Hultsch, Fr.,** *Poseidonios über die Größe und Entfernung der Sonne.* 4. (48 S.) 1897. 3 RM

I. Bd. Nr. 6. **Meyer, Wilhelm** (aus Speyer), *Die Buchstabenverbindungen der sogenannten gothischen Schrift.* Mit 5 Tafeln. 4. (124 S.) 1897. 9,50 RM

I. Bd. Nr. 7. **Leo, Fr.,** *Die Plautinischen Cantica und die hellenistische Lyrik.* 4. (114 S.) 1897. 7,50 RM

I. Bd. Nr. 8. **Horn, Paul,** *Asadi's neupersisches Wörterbuch Lughat-i Furs,* nach der einzigen vatikanischen Handschrift herausgegeben. 4. (37 u. 133 S.) 1897. 18 RM

II. Bd. Nr. 1. **Wellmann, M.,** *Krateuas.* Mit zwei Tafeln. 4. (32 S.) 1897. 3 RM

II. Bd. Nr. 2. **Smend, Rudolf,** *Das hebräische Fragment der Weisheit des Jesus Sirach,* herausgegeben. 4. (34 S.) 1897. 3,50 RM

II. Bd. Nr. 3. **Schulten, Adolf,** *Die Lex Manciana,* eine afrikanische Domänenordnung. 4. (51 S.) 1897. 3,50 RM

II. Bd. Nr. 4. **Kaibel, Georg,** *Die Prolegomena ΠΕΡΙ ΚΩΜΩΙΔΙΑΣ.* 4. (70 S.) 1898. 4,50 RM

II. Bd. Nr. 5. **Bechtel, Fr.,** *Die einstämmigen männlichen Personennamen des Griechischen,* die aus Spitznamen hervorgegangen sind. 4. (85 S.) 1898. 5,50 RM

II. Bd. Nr. 6. **Meyer, Wilhelm** (aus Speyer), *Die Spaltung des Patriarchats Aquileja.* 4. (37 S.) 1898. 2,50 RM

II. Bd. Nr. 7. **Schulten, Adolf,** *Die römische Flurteilung und ihre Reste.* Mit 5 Figuren im Text und 7 Karten. 4. (38 S.) 1898. 5 RM

II. Bd. Nr. 8. **Roethe, Gustav,** *Die Reimvorreden des Sachsenspiegels.* 4. (110 S.) 1899. 8 RM

III. Bd. Nr. 1. **Seeck, Otto,** *Die charakteristischen Unterschiede der Brüder van Eyck.* 4. (77 S.) 1899. 5 RM

III. Bd. Nr. 2. **Marquart, J.,** *Ērānšahr nach der Geographie des Ps. Moses Xorenac'i.* Mit historisch-kritischem Kommentar und topographischen Exkursen. 4. (358 S.) 1901. 30 RM

III. Bd. Nr. 3. **Achelis, H.,** *Die Martyrologien, ihre Geschichte und ihr Wert.* 4. (VIII u. 247 S.) 1900. 16 RM

IV. Bd. Nr. 1. **Tüselmann, Otto,** *Die Paraphrase des Euteknios zu Oppians Kynegetika.* 4. (43 S.) 1900. 4 RM

IV. Bd. Nr. 2. **Schulten, Adolf,** *Die Mosaikkarte von Madaba* und ihr Verhältnis zu den ältesten Karten und Beschreibungen des heiligen Landes. Mit 3 Kartenbildern u. 1 Figurentafel. 4. (121 S.) 1900. 10 RM

IV. Bd. Nr. 3. **Wilamowitz-Moellendorff, U. v.,** *Die Textgeschichte der griechischen Lyriker.* 4. (121 S.) 1900. 8 RM

IV. Bd. Nr. 4. **Rahlfs, Alfred,** *Die Berliner Handschrift des sahidischen Psalters.* Mit drei Lichtdrucktafeln. 4. (154 S.) 1901. 11 RM

IV. Bd. Nr. 5. **Meyer, Wilhelm** (aus Speyer), *Der Gelegenheitsdichter Venantius Fortunatus.* 4. (140 S.) 1901. 9 RM

IV. Bd. Nr. 6. **Lüders, Heinrich,** *Ueber die Grantharecension des Mahābhārata.* (Epische Studien I). 4. (91 S.) 1901. 6 RM

V. Bd. Nr. 1. **Roethe, Gustav,** *Brentanos ‚Ponce de Leon', eine Saecularstudie.* 4. (100 S.) 1901. 6,50 RM

V. Bd. Nr. 2. **Wellhausen, J.,** *Die religiös-politischen Oppositionsparteien im alten Islam.* 4. (99 S.) 1901. 6,50 RM

V. Bd. Nr. 3. **Littmann, Enno,** *Neuarabische Volkspoesie,* gesammelt und übersetzt. 4. (159 S.) 1902. 12 RM

V. Bd. Nr. 4. **Pischel, R.,** *Materialien zur Kenntnis des Apabhraṁśa.* Ein Nachtrag zur Grammatik der Prākrit-Sprachen. 4. (86 S.) 1902. 6 RM

V. Bd. Nr. 5. **Schulze, Wilhelm,** *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen.* 4. [Vergr.] (647 S.) 1904.

VI. Bd. Nr. 1. **Kraus, Carl,** *Metrische Untersuchungen über Reinbots Georg.* Mit 2 Exkursen. 4. (225 S.) 1902. 16 RM

VI. Bd. Nr. 2. **Meyer, Wilhelm** (aus Speyer), *Henricus Stephanus über die Regii Typi Graeci.* Mit 2 Tafeln. 4. (32 S.) 1902. 3 RM

VI. Bd. Nr. 3. **Möller, Hermann,** *Ein hochdeutsches und zwei niederdeutsche Lieder von 1563—1565 aus dem siebenjährigen nordischen Kriege.* Mit einem Anhang: *Deutsche Lieder aus der Grafenfehde.* 4. (67 S.) 1902. 5 RM

Fortsetzung auf der 3. und 4. Umschlagsseite

ABHANDLUNGEN
DER GESELLSCHAFT DER WISSENSCHAFTEN ZU GÖTTINGEN
PHILOLOGISCH-HISTORISCHE KLASSE, NEUE FOLGE BD. XIX, 4

THEODOSII DE HABITATIONIBUS LIBER DE DIEBUS ET NOCTIBUS LIBRI DUO

EDIDIT

DR. RUDOLF FECHT
(MANNHEIM)

BERLIN
WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG
1927

Angenommen in der Sitzung am 2. Juli 1926.

Druck der Dieterichschen Universitäts-Buchdruckerei (W. Fr. Kaestner) in Göttingen.

De Theodosii vita et scriptis.

Non adeo multa memoriae nostrae de vita huius mathematici, non ex humilioribus aequalium unius, tradita esse quamquam dolemus, tamen e monumentis nonnulla colligi possunt.

Imprimis Paul Tannery[1]), quem quadam ex parte secutus est Björnbo[2]), hanc rem tractavit. Monumenta secuti haec fere statuere possumus:

Theodosii nomen ante Vitruvium[3]) nusquam occurrit, qui eum commemorat in iis, qui horologia invenerunt vel de his scripserunt, non quo expresse saeculum illius prodat.

Dicit enim: [... „a quibusque inventa sunt genera descriptionesque horologiorum exponam ...] Hemicyclium excavatum ex quadrato ad enclimaque succisum Berosus Chaldaeus[4]) dicitur invenisse. Scaphen sive hemisphaerium Aristarchus[5]) Samius, idem etiam discum in planitie. Arachnen[6]) Eudoxus astrologus, nonnulli dicunt Apollonium[7]). Plinthium sive lacunar, quod etiam in circo Flaminio est positum, Scopinas Syracusius[8]), πρὸς τὰ ἱστορούμενα Parmenion[9]), πρὸς πᾶν κλίμα Theodosius et Andrias[10]). Patrocles[11]) pelecinum, Dionysodorus[12]) conum, Apol-

1) Recherches sur l'histoire de l'astronomie ancienne, Paris 1893, p. 36—37.

2) Abhandlungen zur Geschichte der math. Wissenschaften, begr. v. M. Cantor, XIV. Heft (1902) p. 64—65.

3) de archit. IX 8, 1 (p. 218, 7 ed. Krohn).

4) ca. annum a. Chr. n. 300. Praeter res Babylonicas scripsit astrologica, astronomica. Christ-Schmid VII 2, 1[5] p. 342—343. cf. Rehm PW VIII 2 s. v. „Horologium".

5) Christ-Schmid VII 2, 1[5] p. 216. Hac „scaphe" usus Eratosthenes distantiam locorum invenit, Christ-Schmid VII 2, 1[5] p. 194. cf. Hultsch PW II p. 876; Rehm PW VIII 2 p. 2418.

6) cf. Kauffmann PW II 1 p. 367.

7) scil. Pergaeum, ca. annum a. Chr. n. 200.

8—11) Praeter hunc locum ignoti. De omnibus his inventoribus cf. Rehm PW VIII 2, p. 2419 et 2423.

12) scil. Melicus, qui vixit primo a. Chr. n. saeculo. cf. Tittel, Jahresber. Fortschr. d. klass. Altertumswiss. 129 (1907) p. 153.

lonius [1]) pharetram, aliaque genera et qui supra scripti sunt et alii plures inventa reliquerunt, uti conarachnen, conicum plinthium, antiboreum."

De tota horologiorum quaestione qui nuperrime egit, Rehm [2]) de Theodosii horologiis haec dicit: „Verstellbare Vorrichtungen aber müssen die Uhren πρὸς τὰ ἱστορούμενα von Parmenion und πρὸς πᾶν κλίμα von Theodosios und Andrias gewesen sein."

Atque re vera hoc illi „πρὸς πᾶν κλίμα" subesse videtur: horologia, quae non, sub alio quodam parallelo posita, velut illa horologia olim Catania Romam missa [3]), mentiantur, sed parallelo mutato quodammodo accommodari possint. Πρὸς πᾶν κλίμα idem fere est atque πρὸς πᾶσαν οἴκησιν. Talibus studiis Theodosium occupatum fuisse infra videbimus, praeterquam quod Vitruvio ut viro rebus doctis non nimis erudito, qui „sine ira et studio", ut ita dicam, interdum vel sine iudicio data diligenter conscripsit, non dissimilis illis monachis medii aevi valde industriis, diffidendum non est.

Satis verisimile est Theodosium hoc horologium πρὸς πᾶν κλίμα non solum invenisse, sed etiam opusculo quamvis exiguo descripsisse, quomodo construeretur et adhiberetur. Quam suspicionem movet vox Graeca „πρὸς πᾶν κλίμα" a Vitruvio tradita, quam haud scio an non sumpserit e suo Vitruvius; certa tamen res non est. Certe autem Vitruvii nota terminus, ante quem Theodosius vixit, statuitur; nam etsi nonnulli negant [4]), nunc constare videtur Vitruvii opus de architectura annos circa vicesimum quintum usque ad vicesimum tertium a. Chr. n. publici iuris factum esse [5]).

1) Pergaeus; cf. Kauffmann PW II p. 367.

2) PW VIII 2 p. 2416—2433, imprimis p. 2423. Idem descripsit horologium quoddam Ath. Mitt. 36 (1911) p. 251 sqq.: „Eine Zwillingssonnenuhr aus Pergamon".

3) cf. Plin. N. H. VII 214; Censorin. de die natali 23, 7.

4) cf. Schanz II 1³ p. 537—539.

5) Schanz l. c. p. 537. — Ceterum dignum fortasse est, quod commoretur, Vitruvium illos inventores rationem maxime temporum secutum enumerare, Eudoxo fortasse neglecto. Qui sunt:

Berosus Chaldaeus ca. ann. a. Chr. n. 300	300	Theodosius ca. ann. a. Chr. n. Andrias	? ?
Aristarchus Samius	280	Patrocles	50
Eudoxus	370	Dionysodorus	200
Apollonius (Pergaeus)	200	[Apollonius	
Scopinas Syracusius	?		
Parmenion	?		

Sed adhuc haec observatio parum persuadeat.

Atque horologii inventorem, Theodosium a Vitruvio laudatum, eundem esse atque mathematicum et astronomum, i. e. mathematicum, qui de astronomicis scripsit, loco Strabonis quodam confirmatur. In Bithyniae enim descriptione annotat [1]): „Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι κατὰ παιδείαν γεγόνασιν ἐν τῇ Βιθυνίᾳ Ξενοκράτης τε ὁ φιλόσοφος [2]) καὶ Διονύσιος ὁ διαλεκτικὸς [3]) καὶ Ἵππαρχος [4]) καὶ Θεοδόσιος καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ μαθηματικοὶ Κλεοχάρης τε ῥήτωρ [5]) ὅ [τε] Μυρλεανὸς Ἀσκληπιάδης [6]) [γραμματικὸς] ἰατρός [τε] ὁ Προυσιεύς."

Quo loco nonnulla nova discimus: Theodosius in Bithynia natus est — qua in urbe vel vico, nescimus [7]). Porro comperimus: Theodosio certe duo, fortasse plures erant filii, ipsi quoque in Bithynia nati, qui ante Strabonis tempora iam in re mathematica insignes se praestiterant.

Itaque e mera Strabonis temporum ratione denuo terminus, ante quem Theodosius floruit, constitui potest: Nam Strabonis Γεωγραφικὰ anno fere p. Chr. n. duodevicesimo confecta esse satis constat [8]). Ponamus discrimen aetatis inter patrem et filios annorum fere triginta, praeterea annos decem, quibus filiorum gloria satis magna fieri potuerat; itaque terminus supra constitutus confirmatur.

Ceterum manifestum esse videtur Strabonem ordines, ut ita dicam categorias [9]) hominum clarorum enumerantem dixisse:

1) Geogr. C 566 (vol. II p. 795 ed. Meineke). In universum de huius modi notis, quae sunt apud Strabonem, cf. Stemplinger, Strabons litterarhist. Notizen, München 1894.

2) Speusippi successor. cf. Zeller II 1⁴ p. 1010 sqq. et Christ-Schmid, Handb. VII 1⁶ p. 713.

3) Diog. Laert. II 8, 12: ἤκουσε δὲ καὶ Ἀννικέριδος ὁ Θεόδωρος καὶ Διονυσίου τοῦ διαλεκτικοῦ, καθά φησιν Ἀντισθένης ἐν φιλοσόφων διαδοχαῖς. Theodorus erat philosophus Cyrenaicus (300 a. Chr. n.); cf. Zeller II 1⁴ p. 375 sqq. Dionysius igitur fuit paulo ante annum 300. Fortasse commemoratur in Stephani Byzantii Ethnicorum quae supersunt ed. Meineke, Berl. 1849, s. v. Ὦδονες.

4) Christ-Schmid II 1⁵ p. 217.

5) Si hoc nomen recte traditum est, orator fuit, qui floruit paulo ante annum a. Chr. n. 300. Blaß, Griech. Beredsamkeit p. 34. Diog. Laert. IV 6, 16.

6) Wentzel PW II p. 1628 sqq. (1630 praecipue). Boll, Sphaera p. 543 sqq. cf. Schmid, Handb. VII 2, 1⁵ p. 329 sqq., p. 344. B. A. Mueller, De Asclepiade Myrleano, Diss. Lips. 1903. Ada Adler, Hermes 49 (1914) p. 39—46.

7) Sunt autem oppida Bithyniae, quae tum erant: Dascylium, Prusa, Cius, Nicaea, [Astacus,] Nicomedia, Calchedon, Calpe, Bithynium, Diospolis, Heraclea Pontica, Tium.

8) Christ-Schmid VII 2, 1⁵ p. 316.

9) Secundum hanc rationem permulta collegit Stemplinger, Strabons litterarhist. Notizen, München 1894.

1. . . . Ξενοκράτης	ὁ φιλόσοφος
2. καὶ Διονύσιος	ὁ διαλεκτικὸς
3. καὶ Ἵππαρχος καὶ Θεοδόσιος καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ	μαθηματικοὶ
4. Κλεοχάρης	ῥήτωρ
5. Ἀσκληπιάδης	ἰατρός.

Itaque ordinem mathematicorum, qui est tertius, inspicientes [1]) invenimus seriem hanc: Hipparchus, Theodosius, huius filii. Quare cum in singulis ordinibus Strabo semper homines vetustiores prioribus ponat locis [2]), Theodosius aut aequalis est Hipparchi aut minor. Et quoniam prima Hipparchi observatio astronomica anno a. Chr. n. centesimo sexagesimo primo facta est, qua re Hipparchus inter annos a. Chr. n. centesimum nonagesimum et octogesimum natus sit, Theodosius sine dubio post annum a. Chr. n. centesimum octogesimum natus est. Floruit igitur post annum a. Chr. n. centesimum quinquagesimum.

Denique e Strabone effici potest hoc: Theodosii filii in Bithynia nati sunt; itaque Theodosius si non semper, at certe aliquamdiu in Bithynia degit.

Tertium locum, qui est de Theodosio, Suidae debemus [3]):

„Θεοδόσιος φιλόσοφος ἔγραψε σφαιρικὰ ἐν βιβλίοις τρισίν, ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια, περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν [4]) β΄, ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον, διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις τρισίν, σκεπτικὰ κεφάλαια, ἀστρολογικά, περὶ οἰκήσεων.

1) Hunc locum Stemplinger exscribit l. c. p. 46.

2) Stemplinger l. c. p. 13 „Parmenides und Zenon aus Elea“; p. 14 „Erastos, Koriskos, Neleus aus Skepsis“; p. 17 aequales „Theophrastos und Phanias aus Eresos“; p. 18 aequales „Athenaios und Xenarchos aus Seleukia“; p. 21 „Die beiden Athenodori aus Tarsos“; p. 25 „Simonides und Bacchylides aus Julis“; p. 33 aequales „Menekles und Hierokles aus Alabanda“; praecipue p. 34 „Die beiden Diodori aus Sardes“; p. 35 aequales „Euthydemos und Hybreas aus Mylasa“; praecipue p. 36 „Potamon und Lesbokles aus Mytilene“; p. 37 „Dionysokles und Damasos aus Tralles“; p. 43 „Sostratos und die beiden Aristodemi aus Nysa“ etc.

3) Suidas ed. Bernhardy vol. I p. 1132.

4) cf. infra p. 54 et 100, schol. 81 ad p. 122, 15; praeterea adn. post fin. ἡμ. I et II. Mirum est codices ABC in libro primo scribere περὶ νυκτῶν καὶ ἡμερῶν, in libro altero περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν; D in utroque περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν; etiam Auria De diebus et noctibus. Optimum duxi secundum Suidam περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν utrique libro inscribi. Ceterum Gem. Isag. cap. VI „περὶ ἡμέρας καὶ νυκτός“. — Pappus priorem tantum librum novisse videtur (coll. VI Hultsch p. 474, 11). De cod. Paris. 2132 unum librum praebente cf. Omont, Inventaire sommaire des manuscrits Grecs de la Bibliothèque Nationale, II.

[Θεοδόσιος ἔγραψε δι' ἐπῶν εἰς τὸ ἔαρ, καὶ ἕτερα διάφορα. Ἦν δὲ Τριπολίτης.]“

Consulto hoc enuntiatum uncis inclusum non omisi, quamquam iamdudum damnatum est. Nam hoc loco non duos, sed tres Theodosios permixtos esse demonstrabitur.

Apparet Suidam de uno tantum Theodosio cogitasse, cum in fine demum totius tituli dicat: „Ἦν δὲ Τριπολίτης.“ Sed postquam iamdudum notum est [1]) Theodosium poëtam lyricum ab eo, qui a Suida „φιλόσοφος“ appellatur, separandum esse, in priore quoque parte tituli discrimen inter duos Theodosios constituere cogimur. Nam Theodosius scripsisse dicitur:

I. sceptica: ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια
σκεπτικὰ κεφάλαια.

II. mathematica: σφαιρικά
περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν
ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον
περὶ οἰκήσεων.

III. de architectura: διαγραφαὶ οἰκιῶν.

IV. astrologica: ἀστρολογικά.

Inquiramus igitur primum, quid de Theuda valeat. Diogenes enim Laërtius eum inter scholarchos scepticos nominat [2]) hoc modo: „Εὐφράνορος δὲ διήκουσεν Εὔβουλος Ἀλεξανδρεύς, οὗ Πτολεμαῖος, οὗ Σαρπηδὼν καὶ Ἡρακλείδης, Ἡρακλείδου δ' Αἰνεσίδημος Κνώσιος, ὃς καὶ Πυῤῥωνείων λόγων ὀκτὼ συνέγραψε βιβλία· οὗ Ζεύξιππος ὁ πολίτης, οὗ Ζεῦξις ὁ Γωνιόπους, οὗ Ἀντίοχος Λαοδικεὺς ἀπὸ Λύκου· τούτου δὲ Μηνόδοτος ὁ Νικομηδεύς, ἰατρὸς ἐμπειρικός, καὶ Θειωδᾶς Λαοδικεύς· Μηνοδότου δὲ Ἡρόδοτος Ἀριέως Ταρσεύς· Ἡροδότου δὲ διήκουσε Σέξτος ὁ ἐμπειρικός, οὗ καὶ τὰ δέκα τῶν σκεπτικῶν καὶ ἄλλα κάλλιστα· Σέξτου δὲ διήκουσε Σατορνῖνος ὁ Κυθηνᾶς, ἐμπειρικὸς καὶ αὐτός.“

Series igitur est intra Aenesidemum et Sextum Empiricum: 1. Aenesidemus. 2. Zeuxippus. 3. Zeuxis. 4. Antiochus. 5. Menodotus et Theiodas. 6. Herodotus. 7. Sextus Empiricus.

Satis constat Sextum Empiricum ante finem secundi p. Chr. n.

1) Nam illud, quod dicitur, violarium Eudociae imperatricis (anno 1059—1067 Byz. imperatricis a Constantino quodam Palaeokappa conscriptum non aestimandum esse ullius assis lucide monstravit Pulch, Diss. Argent. 1880, cf. Herm. XVII (1882) p. 177 sqq. — Eudociae violarium rec. Flach 1880, n. 452, p. 369. — Ceterum verbum „Tripolitae“ codices non habent, quod iam Auria observavit (ed. De hab. p. 8).

2) IX 116 (p. 254 Cobet).

saeculi vixisse [1]) — sumamus, ut certo a numero progrediamur, annum centesimum quinquagesimum; deinde recte Aenesidemum temporibus Ciceronis tribuemus [2]), h. e. circa annum a. Chr. n. sexagesimum. Distantia igitur est inter Aenesidemum et Sextum Empiricum annorum ducentorum decem. Sed praeterquam quod tantum spatium annorum maius esse videtur, quam ut septem tantum scholarchi interesse possint — nam singuli triginta per annos certe scholae non praefuerunt [3]) — et praeterquam quod monendum est, ne quis διαδοχαῖς Diogenis Laërtii nimis confidat [4]), secundum Diogenem Laërtium Theudas circa annum p. Chr. n. centesimum vel paulo post vixit. Ergo Theodosius, quem ante annum vicesimum quintum vixisse vidimus, commentarium in Theudae capita non scripsit. Ceterum dubium non est, quin Theudas, quintus secundum Diogenem successor Aenesidemi, secundo fere p. Chr. n. saeculo tribuendus sit [5]).

Itaque si Theodosius mathematicus ὑπόμνημα εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια certe nunquam scribere potuit, etiam σκεπτικὰ κεφάλαια ei adimenda sunt.

Theodosius igitur quidam philosophus scepticus post Theudae tempora exstitit [6]), fortasse non sine gravitate, fortasse vel scholarchus fuit [7]). Quod haud scio an illa σκεπτικὰ κεφάλαια significent, quibus scepsin antiquiora in tempora, quam antea valuerat, removere studuit: Diog. Laërt. IX 70: „Θεοδόσιος δ' ἐν τοῖς σκεπτικοῖς κεφαλαίοις οὗ φησι δεῖν Πυῤῥώνειον καλεῖσθαι τὴν σκεπτικήν.“ Ceterum, si Theodosius, quem Strabo laudat, philosophus scepticus tam gravis fuisset, insaniae esset, quod Strabo eum „mathematicum“, non „philosophum“ appellavit, praesertim cum Suidas, quamquam opera mathematica longe plura quam sceptica enumerat, tamen dicat; „Θεοδόσιος φιλόσοφος ...“

1) cf. Zeller III 2[4] p. 10 sqq. et p. 49 sqq. Goedeckemeyer, Geschichte des griech. Skeptizimus (Leipz. 1905) p. 266 sqq., qui Sextum saeculo secundo medio quam exeunti tribuere mavult.

2) Zeller III 2[4] p. 10 sqq. Goedeckemeyer l. c. p. 210 sqq. Arnim PW s. v. Aenesid. vol. I p. 1023.

3) cf. ea, quae Zeller contulit, l. c.

4) Schwartz, PW V 1 p. 754 sqq., praecipue 760/61.

5) Zeller III 2[4] p. 7 adn. 1. Goedeckemeyer l. c. p. 263—264.

6) Goedeckemeyer l. c. p. 264 sqq.

7) S. Sepp, Pyrrhon. Stud. p. 124 eum in scholarchis enumerat. Quod si re vera ita se habuit, loco quodam ignoto orientis scholae praefuit, quae Herodoto duce Alexandria ignotum in orientis oppidum emigrasse videtur. cf. Goedeckemeyer l. c. p. 265 adn. 6.

Accedit denique hoc: Suidas tractatus nonnullos enumerat astrologicos; tamen constat scepticos non solum scientiae in universum, sed imprimis etiam astrologiae inimicissimos fuisse [1]).

Itaque tot causis gravissimis resistentibus iam dubium esse non poterit, quin, ne dicam Suidas ipse, at tamen Suidae fontes Theodosium mathematicum cum philosopho confuderint, vel potius philosopho opera alterius tribuerint [2]).

Scripsit igitur Theodosius mathematicus secundum Suidam:

Σφαιρικά libros tres περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν libros duos ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον		mathematica
διαγραφαὶ οἰκιῶν	libros tres	architectonica
ἀστρολογικά		astrologica
περὶ οἰκήσεων		mathematica.

ἕτερα διάφορα [3]), in quibus de horologio πρὸς πᾶν κλίμα.

Post inquisitiones Heibergi [4]) et Björnboi [5]) dubium non iam esse poterit, quin Σφαιρικὰ Theodosii editio nova pristini libri de sphaericis [6]) sint, quem Theodosius manibus tenebat; sed absurdum non est eum ad proprium usum illas propositiones conscripsisse vel partim mutasse, antequam tractatus illis nixos adire potuerit. Multis locis libri περὶ οἰκήσεων (etiam librorum περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν) demonstrationes etc. nituntur Sphaericis, quae ad verbum fere ad Autolyci „περὶ κινουμένης σφαίρας“ [7]) et Euclidis „Φαινόμενα“ redeunt, vel potius Autolycum, Euclidem, Theodosium ex eodem tractatu de doctrina sphaerae hausisse Nokk [8]), Hultsch [9]), Heiberg [10]), Tannery [11]) statuerunt,

1) quod scimus de Carneade, de Favorino, de Sexto; Goedeckemeyer l. c. p. 79 sqq.

2) Accedit illa „poëta lyricus“, qui scripsisse dicitur „δι' ἐπῶν εἰς τὸ ἔαρ“. Non ausus sim hoc carmen de vere Theodosio mathematico dare; tamen absonum non videtur eum, cui saepius de anni temporibus et de climatibus discendum esset, aliquando consilium cepisse „δι' ἐπῶν“, i. e. hexametris versus condiciones describere. — Si res ita se habeat, „Tripolita“ fiat philosophus scepticus.

3) Liceat mihi haec quoque adsumere, etsi non constat, utro Theodosio danda sint.

4) Litterargesch. Studien über Euklid, Leipz. 1882, p. 41—52.

5) Studien über Menelaos' Sphärik (Abhandl. z. Gesch. d. math. Wiss. begr. v. M. Cantor) 1902, Heft 14.

6) Björnbo l. c. p. 56.

7) ed. Hultsch 1885 in Bibl. Teubn.

8) „Über die Sphaerik des Theodosios“, Karlsruhe 1847.

9) Annales Fleckeiseni 1883 p. 416.

10) Litterargesch. Stud. über Euklid p. 43 sqq.

11) Recherches sur l'histoire de l'astronomie ancienne, Paris 1893, p. 36 sqq.

quem Nokk [1]), Heiberg, Tannery Eudoxo tribuunt [2]). Quasi fundamentum sunt haec Σφαιρικὰ libris „περὶ οἰκήσεων“ et „περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν“ [3]). De Sphaericis cf. nunc editio Heibergi.

De libris περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν cf. supra p. 4 adn. 4.

Ὑπόμνημα εἰς τὸ Ἀρχιμήδους ἐφόδιον [4]), quod antea diu in ambiguo erat, anno 1906 confirmatum est, quo anno ab Heibergio Archimedis ἔφοδος reperta est [5]). Monendum est hoc opusculo cum cylindrum tum sphaeram tractari, quae inquisitiones studiis Theodosii finitimae sunt.

Deinde Theodosius διαγραφῶν οἰκιῶν libros tres edidisse dicitur. Quid significant hae descriptiones domuum? Aliquamdiu cogitavi propter propinquitatem insequentium „astrologicorum“ de domibus planetarum; quod refutandum est, cum domus planetarum semper sint οἶκοι, nunquam οἰκίαι. Dici fortasse possit, quod iam Bernhardy [6]) olim fecit, has διαγραφὰς οἰκιῶν eundem esse atque librum περὶ οἰκήσεων; nam re vera saepe οἴκησις idem significat atque οἰκία. Quare non esset malum propositum, nisi liber περὶ οἰκήσεων unus tantum esset, διαγραφαὶ οἰκιῶν tres libri. Si liceret apud Suidam post οἰκιῶν scribi οἴκων, tamen nequaquam adiuvaremur; nam et διαγραφαὶ οἰκιῶν et διαγραφαὶ οἴκων sunt designationes domuum, quales architectos conficere necesse est, priusquam aedificia exstruere incipiunt.

Restat igitur, ut Theodosius non solum in re mathematica insignis fuerit, sed etiam architecturae incubuerit [7]). Verisimile est in illis tribus libris descriptiones domuum aedificandarum una cum designationibus infuisse. Atque hic Birtio obsistere cogor, qui in illo libro doctissimo „Kritik und Hermeneutik (Handbuch Iw. v. Müller I 3 [3]) p. 306 Theodosium tangit his verbis: „Lehrreich ist auch, was Suidas von den βιβλία des Θεοδόσιος φιλόσοφος mitteilt: διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ′, außerdem ein Buch περὶ οἰκήσεων. Hier ist klar, daß das Buch περὶ οἰκήσεων den Text über Häuserbau gab, dagegen die andern 3 Bücher oder Rollen lediglich Grundrisse von Häusern enthielten.“ Quo apparet valde necesse esse nunc tandem Theodosii scripta publici iuris fieri.

1) Nokk cogitat vel de Cyzicenis (Cantor p. 225).

2) Björnbo l. c. p. 56. cf. imprimis infra p. 22, 31 adn.

3) Quisquis mathematicos Graecorum novit, non ignorat difficillimum esse fontes libri cuiuslibet invenire, cum forma in demonstrationibus dicendi solida a posterioribus accepta iterum iterumque adhibita sit, quod in re mathematica sane non sine causa fuit.

4) sic Suidas; Heiberg ἔφοδος; ἐφοδικόν bis in Metricis Heronis ed. Schöne (1903) p. 80, 17 et 130, 12.

5) Heiberg, Eine neue Archimedeshandschrift, Hermes 42 (1907) p. 235 sqq.

6) Suidas ed. Gaisford-Bernhardy I p. 1131: „Is liber (scil. de hab.) non diversus fuit ab eo quem Suidas appellat Διαγραφὰς οἰκιῶν.“

7) Profectus fortasse a geodaesia quae est media inter rem mathematicam et architecturam.

Deinde Theodosius ἀστρολογικά quaedam conscripsisse dicitur; neque hoc mirum temporibus, quae paulo post Hipparchum erant. Illa enim aetate astrologia, cuius prima in Graecia vestigia distinguimus quarto a. Chr. n. saeculo exeunte [1]), Babylone profecta occidentem occupare coepit [2]). Denique Hipparchi fere temporibus illud opus, quod notissimum est sub nominibus Nechepsonis-Petosiris, apparet [3]). Cogimur fere omnia, quae illis temporibus insignia fiebant in litteris, hominibus tribuere, qui in Asia nati erant — et Hipparchus filius terrae Bithyniae erat et Posidonius Syriae, uterque astrologiae deditus; quare mirum non videtur Theodosium astrologica scripsisse. Sed nihilominus fieri potest, ut illa ἀστρολογικά eadem significent atque astronomica.

Itaque si omnia conferimus, hoc fere vitae Theodosii curriculum est:

Theodosius in oppido quodam ignoto Bithyniae [4]) post annum a. Chr. n. 180 [5]) natus mathematicis rebus, imprimis doctrinae sphaerae se dedidit; quibus studiis commotus est, ut librum antiquum sphaericorum, quem manibus tenebat, denuo ederet nonnullis ad novum scientiae statum accommodatis et commutatis. A quo libro profectus quaestiones tum a mathematicis et astronomis ex Hipparchi temporibus, i. e. nuperrime, sae-

1) Rieß, PW s. v. „Astrol.“ vol. II 2 p. 1810 sqq.

2) Heiberg (Gercke-Norden II p. 405).

3) Qui libri terminum significant, quo astrologia Aegyptia Graecis et Romanis lata est; cf. Boll, Sphaera p. 374.

4) Tripolita certe non fuit Strabone teste. — Tannery et Björnbo l. c., deinde Schmid (Handbuch VII 2, 1 [5] p. 343) Strabonem secuti Bithyniam Theodosii patriam dicunt.

5) saeculo secundo: Tannery (l. c.), Björnbo (l. c.), Hoppe (p. 333).
„ primo: Guenther (Handbuch V 1 p. 38), Cantor (Gesch. d. Math. I [2] p. 382 sqq.), Hultsch (praef. Autol. p. XI), Schmid (Handb. VII 2, 1 [5] p. 343), Loria (Le scienze essatte nell' antica Grecia, seconda ediz. [1914] p. 505).

pissime tractatas, quae erant de geographia mathematica, ratione sphaerica illustrare studuit — tractatus edidit περὶ οἰκήσεων et περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν [1]). Sphaericorum doctrinae studens inter alia Archimedis ἔφοδον tractare debuit, qui liber est de cylindro et sphaera; commentarium in hoc opusculum conscribere constituit. Nescio quo modo Theodosius adductus sit, ut architecturae incumberet; quod demonstrant illae διαγραφαὶ οἰκιῶν.

Verisimile est Theodosium haec in Bithynia scripsisse; certe illic duo vel plures filii ei nati sunt, qui postea in mathematicis excellebant.

Quo modo denique Theodosius cum Posidonio cohaereat, utrum Theodosius minor natu fuerit et Bithynia anno a. Chr. n. 73 a Lucullo expugnata Rhodum se contulerit, i. e. ad Posidonium, an Theodosius maior natu fuerit, effici non potest. Nonnulla certe scripta Theodosii non aliena sunt a Posidonii studiis, velut horologii inventio [2]), fortasse etiam illa ἀστρολογικά [3]). Praecipue studiis Posidonii libri περὶ οἰκήσεων et περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν finitimi sunt propter studia quae insunt geographica-mathematica, quibus Posidonius magis operam dabat [4]) quam studiis astronomicis vel mathematicis [5]).

1) Recte et codices et nos librum περὶ οἰκ. ante libros περὶ ἡμ. κ. ν. posuisse mihi persuasi; nam ultimae tres libri de habitationibus propositiones iam sunt de diebus et noctibus ita, ut prop. I 1 περὶ ἡμ. facile has propositiones finitimas sequatur.

2) cf. p. 10 adn. 5: κλίματα et Theodosii horologium πρὸς πᾶν κλίμα.

3) Nisi hoc scripto astronomica tractantur. — Mirum non sit Theodosium, filium orientis, astrologiae incubuisse velut olim Hipparchum (Boll, Neue Jahrbücher 21 [1908] 106). cf. p. 9.

4) περὶ οἰκήσεων: Malchin, De auctoribus quibusdam, qui Posidonii libros meteorologicos adhibuerint (Rostochii 1893) p. 18. — Gemino teste (Isag. XVI 32, p. 176, 23 Man.) iam Polybius (200—120 a. Chr. n.) librum scripsit „περὶ τῆς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως“; cf. Christ-Schmid VII 2, 1[5] p. 294. Ipsum caput XVI Gemini Isagoges inscriptum est „περὶ οἰκήσεων“.

5) Est fragmentum Posidonii Meteorol. (Achilles in Maaß, Comment. in Arat. p. 47), in quo οἴκησις vox tali modo posita est, ut non difficile sit sibi persuadere Posidonium habitationes accuratius tractasse; quod fragmentum fortasse novum praebere indicium dico. Incipit sic: κλίματα δὲ εἴρηται διὰ τὸ τὴν γῆν μὴ εἶναι ὁμαλήν, ἀλλ' ἔχειν οἷον ἐγκλίματά τινα ...“. κλίμα vox apud Autolycum nunquam, apud Hipparchum semel, apud Geminum et Cleomedem passim redit, apud Posidonium explicatur; inde a Posidonii temporibus κλίμα subito sescenties usurpatur et pertractatur, antea ignotum erat, ne ἔγκλιμα quidem nisi raro invenitur. Sequitur, ut Posidonius auctor fuerit huius rei dignae, quae proferatur. — Theodosium autem audimus horologium

De morte Theodosii nihil scimus nisi eum ante annum a. Chr. n. 25 mortuum esse.

De codicibus, quibus opera Theodosii tradita sunt, Heiberg doctissime egit. De editoribus librorum περὶ οἰκήσεων et περὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν pauca referre mihi liceat.

Anno 1558 „Theodosii de habitationibus“ cum Menelao, Autolyco, Euclide Latine edidit Messanae Franciscus Maurolycus fol. 62 R—62 V [1]). Propositiones solas praebet, demonstrationes non secundum Theodosium addit, sed suo arbitrio breviter contractas; quas in apparatu exscripsi. Neque propositiones diligenter reddit; velut prop. 7 „Habitantibus sub eodem parallelo stellae neque simul oriuntur neque simul occidunt; sed quanto prius oriuntur orientaliori loco, tanto prius occidunt“; prop. 9, 10, 11, 12 similiter suis verbis exprimit. Interpretationem Maurolyci recensione Arabica niti iam Auriam non ignoravisse Menge adnotat [2]); mirum non est recensione Arabica textum propositionum mutatum esse.

Repetivit Maurolyci interpretationem ad verbum fere F. Marinus Mersenne, Universae geometriae mixtaeque mathematicae synopsis (Parisiis 1644) p. 246—249.

Denique Josephus Auria, quem cod. Ambros. 817, Paris. 2387, Paris. 2388 descripsisse constat, versionem Latinam edidit libri περὶ οἰκήσεων [3]), Romae 1587. Ipse pag. 7 dicit: „Principio Graecum exemplar nostrum manuscriptum cum omnibus exemplaribus Graecis manuscriptis, antiquissimis illis quidem quinque [4]), quae asservantur in Vaticana Bibliotheca ... diligentissime contuli. Scholia omnia veluti apes summos flores ex illis, in quibus sparsim essent posita, decerpsimus et in nostram Autolyci et Theodosii versionem transtulimus.“

Ad contextum emendandum hac versione nihil novi affertur, cum Auria verba Graeca saepissime secutus non sit, modo hoc,

---

invenisse πρὸς πᾶν κλίμα Vitruvio teste. Cui rei persuadendi aliquid inesse non nego.

1) cf. Hultsch ed. Autol. praef. p. XVI adn. 17. Etiam nos exemplo Monacensis bibliothecae usi sumus.

2) Eucl. Phaen. prolog. p. XXXV. Hultsch Autol. praef. p. XVI.

3) una cum libro Autolyci, qui est de sphaera, quae movetur. cf. Hultschii edit.

4) cf. etiam cod. Ambr. Gr. A 194 inf., Martini et Bassi Catal. cod. Graec. Bibl. Ambr. II p. 912.

modo illo codice nisus, modo suo arbitrio enuntiata fingens. Scholia minora saepius omisit.

Idem edidit versionem librorum de diebus et noctibus (Romae 1591) sine praefatione. De hac versione eadem fere valent, quae de libro de habitationibus. Modo ad verbum textum Graecum reddit, modo mutat verba adeo, ut prorsus aliena videantur[1]). Quin etiam sententias et phrases saepius falso coniungit; figuras et notas geometricas modo sincere reddit, modo suo arbitrio mutat[2]) ratione non perspicua. In margine plerumque adnotat propositiones Euclidis, Autolyci, Theodosii, aliorum saepius de suo, saepius scholiis minoribus nisus, saepissime hae adnotationes emendandae sunt. Nonnulla Auria omnino non intellegit (p. 100, 15 et 118, 39; schol. ad libr. II ἡμ. κ. ν. 112, 117).

Quare versiones Auriae accurate conferri magni non interest; sed ne quid desideretur, nonnulla graviora in apparatu attuli.

Primus Fridericus Hultsch editionem Theodosii Graecam praeparavit, sed conficere non potuit[3]).

Francisco Boll, magistro doctissimo carissimo praemature defuncto, qui in tractatu περὶ οἰκήσεων inquirendo me pro sua humanitate adiuvare non destitit, gratiam referre me non iam posse doleo; nuperrime J. L. Heiberg, editor praeclarus Euclidis aliorumque, saepius consilio mihi aderat, cui hoc quoque loco gratias agere meum esse puto.

Ad priorem huius opusculi partem usus sum dissertatione mea Heidelbergensi (De Theodosii de habitationibus libro nondum edito, Heidelb. 1914/1921).

1) E. gr. p. 80, 17: usque ad aestivas conversiones comprehensis.
2) Similia iam adnotavit Hultsch ed. Autol. p. 161.
3) cf. adn. ad p. 126, 33. Imprimis cf. Papp. Alex. coll. vol. II (Hultsch) praef. p. VII sqq.

ΘΕΟΔΟΣΙΟΥ ΠΕΡΙ ΟΙΚΗΣΕΩΝ ΒΙΒΛΙΟΝ

THEODOSII DE HABITATIONIBUS LIBER

A = Vat. Gr. 204 s. X.
B = Vat. Gr. 191 s. XIII.
C = Paris. Gr. 2363 s. XV.
D = Ambr. Gr. A 101 sup. s. XV.

Θεοδοσίου περὶ οἰκήσεων.

α'.

Τοῖς ὑπὸ τὸν βόρειον πόλον οἰκοῦσιν ἡμισφαίριον μὲν τοῦ κόσμου διὰ παντός ἐστι τὸ αὐτὸ φανερόν, ἡμισφαίριον δὲ τοῦ κόσμου διὰ παντός ἐστι τὸ αὐτὸ ἀφανές· καὶ οὐθὲν τῶν ἄστρων αὐτοῖς οὔτε δύσεται οὔτε ἀνατελεῖ, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν τῷ φανερῷ ἡμισφαιρίῳ διὰ παντός ἐστι φανερά, τὰ δὲ ἐν τῷ ἀφανεῖ διὰ παντός ἐστιν ἀφανῆ.



Ἔστω ἐν μὲν κόσμῳ μεσημβρινὸς ὁ ΑΒΓΔ, ἐν δὲ γῇ ὁ ΕΖΗ, ἄξων δὲ τοῦ κόσμου ὁ ΑΒ· τὰ ἄρα Α, Β πόλοι εἰσὶ τοῦ κόσμου. Ἔστω οὖν οἴκησις πρὸς τῷ Ε· τῆς ἄρα Ε οἰκήσεως τὸ κατὰ κορυφήν ἐστι τὸ Α σημεῖον. Λέγω δή, ὅτι τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν ἡμισφαίριον μὲν τοῦ κόσμου διὰ παντός ἐστι τὸ αὐτὸ φανερόν, ἡμισφαίριον δὲ τοῦ κόσμου διὰ παντός ἐστι τὸ αὐτὸ ἀφανές, καὶ οὐθὲν αὐτοῖς τῶν ἄστρων οὔτε δύσεται οὔτε ἀνατελεῖ, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν τῷ φανερῷ ἡμισφαιρίῳ διὰ παντός ἐστι φανερά, τὰ δὲ ἐν τῷ ἀφανεῖ ἡμισφαιρίῳ διὰ παντός ἐστι ἀφανῆ.

Ἔστω γὰρ τὸ κέντρον τῆς γῆς τὸ Κ σημεῖον (τὸ δὲ αὐτό ἐστι καὶ τοῦ κόσμου) καὶ ἀπὸ τοῦ Κ τῇ ΑΒ πρὸς ὀρθὰς ἤχθω ἡ ΓΔ. Ὁ ἄρα περὶ διάμετρον τὴν ΓΔ κύκλος γραφόμενος ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΑΒ ὁ ἰσημερινός ἐστιν· ὁ ἄρα ἰσημερινὸς ὁρίζων ἐστὶ τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν. Τὸ μὲν ἄρα κατὰ τὸ ΓΑΔ ἡμικύκλιον ἡμισφαίριον τοῖς πρὸς

1 Θεοδοσίου περὶ οἰκήσεων] **ABCD**. 3 τὸν] **A**, om. **B**. 4 αὐτό] in ras. **B**. 13 A^2 superscr. nonnulla (cf. schol. 3).

1 Gemino teste (Isag. XVI 32, p. 176, 23 Man.) iam Polybius librum scripsit „περὶ τῆς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως“; cf. Christ-Schmid VII^6 2, 1 p. 294. Ipsum caput XVI Gemini Isagoges inscriptum est „περὶ οἰκήσεων“. 2 Maurolycus annotat fol. 62 R: „Haec propositio eadem ferme est cum quarta sphaerae Autolyci“. 3 schol. 1. De poli historia cf. imprimis

Theodosii liber de habitationibus.

1.

Iis, qui sub polo septentrionali habitant, hemisphaerium mundi idem semper conspicuum est, hemisphaerium autem mundi idem semper occultum est; neque ulla stellarum iis occidet neque ulla orietur, sed alterae in hemisphaerio conspicuo semper conspicuae sunt, alterae in hemisphaerio occulto semper occultae sunt.

Sit in mundo meridianus circulus ΑΒΓΔ, in terra autem EZH circulus, axis denique mundi AB; ergo A, B puncta poli mundi sunt. Sit habitatio ad E punctum; itaque A punctum in vertice E habitationis est. Iam dico hemisphaerium mundi semper idem iis, qui ad E punctum habitent, conspicuum esse, hemisphaerium autem mundi semper idem occultum esse, neque ullam stellarum iis occasuram neque orituram esse, sed alteras in hemisphaerio conspicuo semper conspicuas esse, alteras in hemisphaerio occulto semper occultas esse.

Sit enim centrum terrae K punctum (idem etiam mundi est) et a K puncto ad AB rectam perpendicularis ΓΔ recta deducatur. Ergo circulus circum ΓΔ diametrum descriptus, qui ad AB rectam perpendicularis est, aequinoctialis est; quare aequinoctialis iis, qui ad E punctum habitant, horizon est. Itaque hemisphaerium ΓΑΔ semicirculi iis, qui ad E punctum habitant,

Maaß, Aratea (Phil. Unt. 1892). De septem habitationum locis diversis Auria (Bonhöffer) p. 82. Guenther p. 31. 11 schol. 2. De elementorum usu cf. Windelband ed. III 1912 p. 57. 13 schol. 3. 15 schol. 4.

25 Theod. Sphaer. I 13: „Ἐὰν ἐν σφαίρᾳ μέγιστος κύκλος (i. e. AB) κύκλον τινὰ τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ (i. e. ΓΔ) πρὸς ὀρθὰς τέμνῃ, δίχα αὐτὸν τεμεῖ καὶ διὰ τῶν πόλων.“ Cum ΓΔ maximus sit circulus, cuius polos A et B mundi polos esse dictum est (p. 14, 13), eum aequinoctialem esse apparet. — Gem. Isag. V 34 (p. 54, 13 sqq. Man.): . . . „ὥστε τοὺς τρεῖς κύκλους, τὸν ἀρκτικὸν καὶ τὸν ἰσημερινὸν καὶ τὸν ὁρίζοντα, τὴν αὐτὴν τάξιν καὶ θέσιν λαμβάνειν“. — Cleom. de motu I 7 (p. 70, 14 sqq. Ziegler): „τοῖς δ' ὑπ' αὐτῷ τῷ πόλῳ ὁ ἰσημερινὸς τὰς τρεῖς λαμβάνει σχέσεις“ κτλ. — Cf. schol. 5 et 6.

τῷ Ε οἰκοῦσιν διὰ παντός ἐστι φανερόν, τὸ δὲ κατὰ τὸ ΓΒΔ διὰ παντός ἐστιν ἀφανές. Καὶ ἐπεὶ πάντα τὰ ἄστρα κατὰ παραλλήλων κύκλων φέρεται τῷ ἰσημερινῷ, δῆλον, ὡς οὐδὲν τῶν ἄστρων συμβάλλει τῷ ὁρίζοντι· ὥστε οὐδὲν τῶν ἄστρων οὔτε δύσεται οὔτε ἀνατελεῖ, ἀλλὰ τὰ μὲν κατὰ τὸ ΓΑΔ ἡμικύκλιον ἡμισφαίριον διὰ παντός ἐστι φανερά, τὰ δὲ κατὰ τὸ ΓΒΔ ἡμικύκλιον ἡμισφαίριον διὰ παντός ἐστιν ἀφανῆ.

β′.

Τοῖς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσιν πάντα τὰ ἄστρα καὶ δύσεται καὶ ἀνατελεῖ καὶ τὸν ἴσον χρόνον ὑπέρ τε τὸν ὁρίζοντα ἐνεχθήσεται καὶ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα.

Ἔστω ἐν κόσμῳ μεσημβρινὸς ὁ ΑΒΓΔ, ἐν δὲ γῇ ὁ ΕΖΗΘ, ἰσημερινοῦ δὲ διάμετρος ἡ ΑΒ, οἴκησις δὲ ἔστω πρὸς τῷ Ε· τῆς ἄρα Ε οἰκήσεως τὸ κατὰ κορυφὴν σημεῖόν ἐστι τὸ Α. Λέγω δή, ὅτι τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσι πάντα τὰ ἄστρα καὶ δύσεται καὶ ἀνατελεῖ καὶ τὸν ἴσον χρόνον ἐνεχθήσεται ὑπέρ τε τὸν ὁρίζοντα καὶ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα.



Ἔστω κέντρον τῆς γῆς τὸ Κ σημεῖον· καὶ ἀπὸ τοῦ Κ τῇ ΑΒ πρὸς ὀρθὰς ἤχθω ἡ ΓΔ· ἄξων ἄρα ἐστὶν ὁ ΓΔ. Καὶ ἐπεὶ ὁ περὶ διάμετρον τὴν ΓΔ κύκλος γραφόμενος ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΑΒ ὁρίζων ἐστὶ τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν, ἀλλὰ ὁ περὶ διάμετρον τὴν ΓΔ κύκλος γραφόμενος ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΑΒ ὁ διὰ τῶν πόλων ἐστίν, ὁ ἄρα διὰ τῶν πόλων τῆς σφαίρας ὁρίζων ἐστὶ τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν. Καὶ ἐπεὶ πάντα τὰ ἄστρα κατὰ παραλλήλων κύκλων φέρεται τῷ ἰσημερινῷ, ὁ δὲ διὰ τῶν πόλων τῆς σφαίρας δίχα τέμνει τοὺς παραλλήλους κύκλους, καθ' ὧν φέρεται τὰ ἄστρα, πάντα τὰ ἄστρα τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν δύσεται καὶ ἀνατελεῖ. Καὶ φανερόν, ὅτι τὸν ἴσον χρόνον ἐνεχθήσεται ὑπέρ τε τὸν ὁρίζοντα καὶ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα· ἕκαστον γὰρ αὐτῶν ἐνεχθήσεται κατὰ ἡμικυκλίου.

20 κέντρον] **A**, τὸ κέντρον **B**. 26 ἐστίν, ὁ ἄρα διὰ τῶν πόλων] repet. **B**. 29 τῆς σφαίρας] **B**, τὴν σφαῖραν A^1, τὴν σφαίρας A^2. 30 πάντα] scripsi, ὥστε πάντα **AB**.

semper conspicuum est, hemisphaerium autem ΓΒΔ semicirculi semper occultum est. Atque cum omnes stellae per circulos aequinoctiali parallelos ferantur, nullam stellarum horizontem contingere apparet; quare nulla stellarum occidet, nulla orietur, sed eae, quae in hemisphaerio ΓΑΔ semicirculi sunt, semper conspicuae sunt, eae autem, quae in hemisphaerio ΓΒΔ semicirculi sunt, semper occultae sunt.

2.

Iis, qui sub aequinoctiali habitant, omnes stellae et occident et orientur atque aequale tempus supra horizontem et infra horizontem ferentur.

Sit in mundo meridianus ΑΒΓΔ circulus, in terra autem ΕΖΗΘ circulus, aequinoctialis denique diametrus AB, habitatio autem sit ad E punctum; itaque A punctum in vertice E habitationis est. Iam dico iis, qui ad E punctum habitent, omnes stellas et occasuras et orituras esse et aequale tempus supra horizontem et infra horizontem ferri.

Sit centrum terrae K punctum; atque a K puncto ad AB rectam ΓΔ recta perpendicularis ducatur; itaque ΓΔ axis est. Atque cum circulus circa ΓΔ diametrum descriptus ad AB rectam perpendicularis iis, qui ad E punctum habitant, horizon sit, sed circulus circa ΓΔ diametrum descriptus ad AB rectam perpendicularis circulus per polos descriptus sit: circulus per polos sphaerae descriptus iis, qui ad E punctum habitant, horizon est. Atque cum omnes stellae per circulos parallelos aequinoctiali ferantur, circulus autem per sphaerae polos descriptus circulos parallelos, per quos stellae feruntur, bifariam secet: omnes stellae iis, qui ad E punctum habitant, occident et orientur atque eas aequale tempus supra horizontem et infra horizontem ferri apparet; nam una quaeque earum per semicirculum feretur.

2 Autol. κιν. σφ. 1 (p. 2 Hultsch): „ἐὰν σφαῖρα στρέφηται ὁμαλῶς περὶ τὸν ἑαυτῆς ἄξονα, πάντα τὰ ἐπὶ τῆς ἐπιφανείας τῆς σφαίρας σημεῖα, ὅσα μή ἐστιν ἐπὶ τοῦ ἄξονος, κύκλους γράψει παραλλήλους τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχοντας τῇ σφαίρᾳ καὶ ἔτι ὀρθοὺς πρὸς τὸν ἄξονα.“ Cf. Autol. p. 6,1 et Theod. Sphaer. II 2. Autol. κ. σφ. 5. 2 cf. schol. 9. 7 Maurolycus adnotat fol. 62 R: „Id ipsum conclusit quinta propositio Autolyci.“ 10 Autol. κ. σφ. 5; Auria p. 58 de positione sphaerae rectae. 22 cf. schol. 11. 25 cf. schol. 12. 28 Theod. Sphaer. I 15. 33 cf. schol. 13.

γ'.

Πρὸς πάντα τόπον τὸν ἐπὶ τῆς μέσης ζώνης ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος ὀρθὸς ἵσταταί ποτε.

Ἔστω ἐν κόσμῳ μεσημβρινὸς ὁ ΑΒΓΔ, ἐν δὲ γῇ ὁ ΕΖΗΘ, τροπικοὶ δὲ ἔστωσαν οἱ περὶ διαμέτρους τὰς ΚΛ ΜΝ, οἱ ΚΡΛ ΜΣΝ, κέντρον δὲ τῆς γῆς τὸ Ξ σημεῖον· καὶ ἐπεζεύχθωσαν αἱ ΚΞ ΞΜ. Ἐν μὲν ἄρα κόσμῳ μέση ζώνη ἐστὶν ἡ ΚΑΜ, ἐν δὲ γῇ ἡ ΟΕΠ.



Λέγω δή, ὅτι πρὸς πάντα τόπον τὸν ἐπὶ τῆς μέσης ζώνης ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος ὀρθὸς ἵσταταί ποτε.

Ἔστω γὰρ οἴκησις πρὸς τῷ Ε, καὶ ἐπιζευχθεῖσα ἡ ΞΕ ἐκβεβλήσθω· τῆς ἄρα Ε οἰκήσεως τὸ κατὰ κορυφὴν σημεῖόν ἐστι τὸ Α. Ἤχθω δὴ ἀπὸ τοῦ Ξ τῇ ΑΒ πρὸς ὀρθὰς ἡ ΓΔ. Ὁ ἄρα περὶ διάμετρον τὴν ΓΔ κύκλος ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΑΒ ὁρίζων ἐστὶ τῆς Ε οἰκήσεως. Καὶ ἐπεὶ ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος κατὰ πάντα τόπον τὸν μεταξὺ τῶν τροπικῶν φέρεται, δῆλον, ὡς ἥξει ποτὲ διὰ τοῦ Α καὶ τοῦ κατὰ διάμετρον αὐτῷ τοῦ Β, καὶ ἔσται ὀρθὸς πρὸς τὸν ὁρίζοντα. Ὁμοίως δὴ δείξομεν καὶ ἐπὶ ὅλου τοῦ ΟΕΠ. Πρὸς πάντα ἄρα τόπον τὸν ἐπὶ τῆς μέσης ζώνης ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος ὀρθὸς ἵσταταί ποτε.

δ'.

Οἷς τὸ κατὰ κορυφὴν σημεῖον ἀπὸ τοῦ πόλου τοσοῦτον παρήκει, ὅσον ὁ τροπικὸς ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ διέστηκεν, ἐκείνοις ἅμα ἓξ ζῴδια καὶ δύσεται καὶ ἀνατελεῖ.

Ἔστω γὰρ ἐν κόσμῳ μεσημβρινὸς ὁ ΑΒΓΔ, ἐν δὲ γῇ ὁ ΕΖΗ,

3 ἵστατα[] **A**, ἵσταται **B**. 10 ἡ ΟΕΠ] in ras. (?) **B**. 12 ἐπὶ] in ras. (?) **B**. 18 κύκλος] Θ **A**, ⊙ **B**. 20 post τροπικῶν ras. 2—3 litterarum in **A**. 21 τοῦ (pr.)] **B**, τὸ **A**. τοῦ (alt.)] **B**, ἥξει διὰ τοῦ **A**. Auria: manifestum est, quod per A punctum tandem transibit, et propterea transibit etiam per punctum C, quod quidem ipsi A est per diametrum. 24 ἵσταταί ποτε] **B**, ἵσταται ποτέ **A**.

1 Maurolycus annotat fol. 62 R: „Nam circulus aequatoris parallelus per verticem loci ductus binis in locis secat zodiacum. Quando igitur punctum sectionis alterutrae counitur vertici, tunc zodiacus incedit per polos horizontis: et ideo, per 20m (immo 15.) primi Theod. secat horizontem orthogonaliter: bis ergo fit hoc in uno ambitu. Habitantibus vero sub tropico semel, hoc est in puncto solstitii, in quo zodiacus tangit ipsum tropicum.“

3.

Ad unumquodque mediae zonae punctum circulus zodiacus aliquando perpendicularis est.

Sit in mundo meridianus circulus ΑΒΓΔ, in terra autem ΕΖΗΘ, tropici autem sint circuli circa diametros ΚΛ ΜΝ descripti ΚΡΛ ΜΣΝ, centrum denique terrae Ξ punctum: atque ΚΞ ΞΜ rectae ducantur. Ergo in mundo ΚΑΜ media zona est, in terra autem ΟΕΠ. Iam dico ad unumquodque mediae zonae punctum circulum zodiacum perpendicularem esse.

Sit enim ad E punctum habitatio atque ΞΕ recta producatur. Itaque A punctum in vertice E habitationis est. Iam a Ξ puncto ad AB rectam perpendicularis ΓΔ recta ducatur. Circulus igitur circa ΓΔ diametrum descriptus ad AB rectam perpendicularis horizon E habitationis est.

Atque cum circulus zodiacus per unumquodque inter tropicos punctum feratur, aliquando eum per A punctum et B punctum huic iuxta diametrum oppositum venturum esse et ad horizontem perpendicularem fore apparet. Similiter iam toto ΟΕΠ arcu hoc demonstrabimus. Quare ad unumquodque mediae zonae punctum circulus zodiacus perpendicularis aliquando est.

4.

Quibus punctum, quod in vertice est, a polo tantum abest, quantum tropicus ab aequinoctiali distat, iis simul sex signa et occident et orientur.

Sit enim in mundo meridianus ΑΒΓΔ circulus, in terra

2 cf. schol. 14. 3 cf. schol. 15. Hultsch (PW II 2 p. 1834): „Aus der Schrift des Theod. περὶ οἰκ. läßt sich zurückschließen, daß Parmenides als mittlere Erdzone diejenige bezeichnete, in welcher wenigstens einmal im Jahre die Sonne im Scheitelpunkte steht.“ — De puteo illo claro Syenita cf. Plin. Nat. Hist. II 183. 20 cf. schol. 16 et 17. 25 Propositio est de eis, qui sub illo circulo habitant, quem nos arcticum vocamus (66 1/2 ° lat.). Maurolycus annotat fol. 62 R: „Hoc est illis, quorum vertex est in arctico vel antarctico circulo. Nam cum poli zodiaci ferantur in periferiis talium circulorum, iam in uno ambitu semel polus counitur vertici, hoc est polus zodiaci polo horizontis. Quare et zodiacus counitur horizonti, quae counio fit in instanti, et post illud instans statim zodiacus dispescitur bifariam ab horizonte et ideo in instanti semicirculus eius oritur et reliquus semicirculus occidit.“ 28 cf. schol. 18. Auria p. 60 de positione huius habitationis dicens pergit: „Sol etiam cum existit in solstitiis aestivis, quod semel in anno contingit, est dies tali habitationi horarum viginti quattuor et instans pro nocte, quoniam temporis momento sol pertransit horizonta et subito iterum apparet . . . et accolae ex umbrae circumlatione periscii nominantur.“

ἄξων δὲ τοῦ κόσμου ὁ ΓΔ· τὰ ἄρα Γ, Δ πόλοι εἰσὶ τοῦ κόσμου· ἰσημερινοῦ δὲ διάμετρος ἡ ΑΒ, τροπικοὶ δὲ περὶ διαμέτρους τὰς ΚΛ ΜΝ οἱ ΚΠΛ ΜΡΝ, καὶ κείσθω τῇ ΚΑ περιφερείᾳ ἴση περιφέρεια ἡ ΟΔ· καὶ ἐπεζεύχθω ἡ ΞΟ, καὶ ἔστω οἴκησις πρὸς τῷ Ε. Τῆς ἄρα Ε οἰκήσεως τὸ κατὰ κορυφὴν σημεῖόν ἐστι τὸ Ο, καὶ τοσοῦτον ἀπὸ τοῦ Δ πόλου παρήκει, ὅσον ὁ τροπικὸς ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ διέστηκεν. Λέγω δή, ὅτι τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν ἅμα ἓξ ζῴδια καὶ δύσεται καὶ ἀνατελεῖ.



Ἐπεζεύχθωσαν γὰρ αἱ ΚΞ ΞΝ· ἐπεὶ οὖν διάμετρός ἐστιν ἡ ΑΒ καὶ ἴση ἐστὶν ἡ ΑΚ περιφέρεια τῇ ΒΝ περιφερείᾳ, εὐθεῖά ἐστιν ἡ ΚΞΝ. Καὶ ἐπεὶ ἴση ἐστὶν ἡ ΚΑ περιφέρεια τῇ ΔΟ περιφερείᾳ, κοινὴ προσκείσθω ἡ ΑΟ· ὅλη ἄρα ἡ ΚΟ ἴση ἐστὶ τῇ ΑΔ· ὥστε καὶ γωνία ἡ ὑπὸ Κ, Ξ, Ο ἴση τῇ ὑπὸ τῶν Α, Ξ, Δ ἐστὶν ἴση. Ὀρθὴ δέ ἐστιν ἡ ὑπὸ τῶν Α, Ξ, Δ· ὀρθὴ ἄρα ἐστὶ καὶ ἡ ὑπὸ τῶν Κ, Ξ, Ο· ἡ ΚΝ ἄρα τῇ ΞΟ ἐστὶ πρὸς ὀρθάς. Ὁ ἄρα περὶ διάμετρον τὴν ΚΝ κύκλος γραφόμενος ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΞΟ ὁρίζων ἐστὶ τοῖς πρὸς τῷ Ε οἰκοῦσιν. Ἐπεὶ οὖν δύο κύκλοι, ὅ τε περὶ διάμετρον τὴν ΚΝ ὀρθὸς ὢν πρὸς τὴν ΞΟ καὶ ὁ τροπικὸς ὁ περὶ διάμετρον τὴν ΜΝ, μεγίστου τινὸς κύκλου περιφέρειαν τοῦ μεσημβρινοῦ τὴν ΑΔΒ τέμνουσι κατὰ τὸ Ν σημεῖον τοὺς πόλους ἔχοντες ἐπ' αὐτοῦ τοὺς Ο, Δ, ἐφάπτονται ἀλλήλων οἱ κύκλοι. Ὁ ἄρα ὁρίζων ἐφάπτεται τῶν τροπικῶν· ὥστε ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος ἐφάπτεται, οὗ καὶ ὁ ὁρίζων ἅπτεται. Ἐὰν δὲ ἐν σφαίρᾳ μέγιστος κύκλος τῶν αὐτῶν ἅπτηται, ὧν καὶ ὁ ὁρίζων ἅπτεται, στρεφομένης τῆς σφαίρας ἐφαρμόσει ἐπὶ τὸν ὁρίζοντα· στρεφομένης ἄρα τῆς σφαίρας ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος ἐφαρμόσει ἐπὶ τὸν ὁρίζοντα, ὥστε παραλλάξει τυχούσῃ ἅμα ἓξ ζῴδια καὶ δύσεται καὶ ἀνατελεῖ.

ε'.

Τοῖς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσιν ὁ μεσημβρινὸς δίχα τεμεῖ τὸ

3 ΜΡΝ] **D**, ΜΝΡ **AB**. 7 παρήκει] **B**, παροικεῖ $\mathbf{A}^1$, corr. $\mathbf{A}^2$. 11 Ἐπεζεύχθωσαν] -ζευ- evanida in **A**, tamen certa. 18 τῶν (alt.)] τ- in ras. **B**. 24 ΑΔΒ] **B**, ΑΒΓ **A**. 25 ἐπ' αὐτοῦ τοὺς Ο, Δ] **A**, ἐπ' αὐτοὺς ΟΔ **B**. 27 ἅπτεται] corr. ex επτεται **A**.

3 cf. schol. 19. Auria p. 62 mediam zonam esse partium 46, min. 60 secundum astronomos dicit. 11 cf. schol. 20. 14 cf. schol. 21. Similiter Eucl. Phaen. prop. 7 (p. 36, 9 et 14 Menge) et Autol. περὶ ἐπιτ. I 5 (p. 70, 3—5 Hultsch), I 4 (p. 68, 1—3); προσκείσθω neque apud Hipparchum neque apud Geminum neque apud Cleomedem invenitur, qua re hi loci graviores fiunt. Haec formula illo e libro de Sphaericis perdito prodiisse videtur. 25 Theod. Sphaer. II 3. De circulis se tangentibus cf. ea, quae ante prop. 1 libri II. Sphaer. Theod. dicuntur. 29 Autol. κιν. σφ. 8 (p. 28 sqq. Hultsch). 30 cf. schol. 24. 32 Contactus zodiaci et tropicorum iis, qui sub aequinoctiali habitant, tum in horizonte sunt, cum media inter contactus (i. e. cancrum et capricornum) pars in vertice est: signum arietis aut librae, quod singulis diebus semel fere accidit. — Maurolycus annotat fol. 62 R: „Tunc enim horizon incedens iam per polos tropici et puncta contactuum, per 6^m secundi sphaericorum Theo. (immo II 5) ibit et per polos zodiaci: et ideo per 20^m primi (immo I 15) primi orthogonaliter eum secabit, et per 21^m primi (immo I 15) zodiacus vicissim ibit per polos horizontis, per quos et meridianus unde arcus

autem EZH circulus, axis denique mundi ΓΔ (Γ, Δ igitur puncta poli sunt mundi), aequinoctialis autem circuli diametrus AB, tropici autem circa ΚΛ ΜΝ diametros circuli ΚΠΛ ΜΡΝ; atque ΚΑ arcui ponatur arcus ΟΔ aequalis; atque ΞΟ recta ducatur, sitque habitatio ad E punctum. Ο igitur punctum in vertice E habitationis est, atque tantum a Δ polo abest, quantum tropicus ab aequinoctiali distat. Iam dico iis, qui ad E punctum habitent, simul sex signa et occasura et oritura esse.

